


Johann Quistorp

**Rector Academiae Rostochiensis Johannes Quistorpius, S.S. Theologiae Doctor  
... Ad Exequias, Quae ... Dn. M. Johanni Elero Rigensi, ab Hospite, popularibus, &  
amicis, in templo Jacobaeo ad horam mediam primam hodiernam parabuntur,  
Academiae Cives invitat**

Rostochi[i]: Pedanus, 1628

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn751405302>

Druck Freier  Zugang



**Qvistorp, J.,**

in

**J. Eler.**

Rost. 1628.

21







*Typ.*

*2*

RECTOR  
Academiae Rostochiensis  
JOHANNES QVISTORPIUS,  
S. S. Theologiae Doctor, Pro-  
fessor & Ecclesiastes.

*Ad*  
Exequias,

*Quae*  
*Viro Clarissimo ac Praestantissimo*

DN. M. IOHANNI  
ELERO Rigenfi,

ab  
*Hospite, popularibus, & amicis, in templo Jacobæo*  
*ad horam mediam primam hodiernam para-*  
*buntur,*

Academiae Cives invitat.



ROSTOCHI  
Literis JOACHIMI PEDANI, Acad. Typog.  
Anno M. DC. XXVIII.



RECTOR  
ACADEMIÆ ROSTO-  
CHIENSIS

JOHANNES  
QUISTORPIUS  
S. S. Theol. Doct. Professor  
& Ecclesiastes.



Magistrum JOHANNEM  
ELERUM Rigensem, pa-  
triae suae speratum decus & or-  
namentum, juventutis in hac  
Academia studiosa, pietatis,  
eruditionis, industriae & mo-  
destiae exemplum amissimus.

Si fas esset mortis incusare inclementiam, jure id ju-  
stissimo, hoc quidem in funere, fieret: Dum  
ignavis, otio & luxu affluentibus, fruges tantum  
consumere natis parcat, & virum hunc non saltem  
ad eruditionis culmen summo nisu contendentem,  
sed

Sed & alius, indefesso studio, ad eruditionem & virtutem viam praecurrentem, abstulit. Scimus & plane scimus, hunc ~~magis~~ nostrum, bonorum, quibus ille vivus cognitus fuit, votis & calculo vitam longissimam dignum judicari. Academia certe Witebergensis, quae summis cum eloquiis ornat, prolixèq; eam quam in vivo notavit eruditionem deprædicat, non potest non longam ipsi optare vitam. Placet ex illo, quo Witebergam ad nos pergentem, ejus Scholæ Philosophiæ Professores, prosecuti sunt testimonio, pauca in hanc rem repetere. TESTAMUR (aiunt illi) & compertò ac liquidò testamur hunc M. JOHANNEM ELERUM, in hac Republica literaria circiter septennium versatum esse eo vitæ & studiosorum exemplo, ut omnibus bonis & doctis se facile probare potuerit. Ad Philosophiæ studia eo adfectu & judicio aggressus est, quo solent ij, qui sine ambagibus recta & regia via ad templum illud sapientiæ & veri contendunt, & in hoc stadio ita decurrit, ut paucos habuerit, qui palmam virtutis pariter ac doctrinæ ambiguam ipsi fecerint, pauciores, si tamen ulli, qui præriperint. In Scholis Philosophorum assiduus fuit, & curiosus: humaniores literas & linguas Principes non obiter & ad pompam, sed accuratè, atq; ad usum & suum & aliorum didicit: quippe qui meditando, disputando & respondendo, tam publicè quam privatim ingenium occupavit, atq; ita assiduis ejusmodi exercitationibus eruditionem haut vulgarem,



fibi comparavit. Hinc quoq; factum ut ob indefessum  
studium, quod nobis vel nocturno oleo probavit, anno  
1624. Kal. April. Supremus in Philosophia honoris ti-  
tulus, quem Magisterium sive doctoratum Philo-  
sophicum vocamus, post experimenta solemnia totius Phi-  
losophici Collegij approbatione, à Viro Clariss. tum  
temporis decano spectabili AUGUSTINO BUCH-  
NERO, Poet. Profess. publ. ipsi conferretur, & inter 35.  
Comperitores locus secundus assignaretur. Quem  
suum honoris Philosophici titulum splendidiorem red-  
dere sedulo conatus est, dum spartam sibi commissam,  
singulari fide & dexteritate exornavit: id quod non  
tantum lectiones ipsius Philosophicæ magno cum au-  
ditorum applausu privatim propositæ, sed & disputa-  
tiones cum privatæ tum publicæ, in quibus præsidis vi-  
ces laudabiliter sustinuit, in lucem prolata, aliq; inge-  
nij documenta abunde attestari possunt. Nec tamen  
& Theologorum scholas neglexit: imò in hisce quoq;  
sic versatus est, ut progressum quem in sublimi illo sa-  
crarum literarum studio fecit, aliquot disputationum  
exercitijs ad iudicij & veri normam formaverit pariter  
ac firmaverit: Atque ita ingenij sui acumen non raro  
publicis in auditoriis magna cum laude periclitatus  
fuerit. Quum verò nullius pretij sint Philosophi μέλι  
τὸ λέγειν ἀντὶ τὸ πρᾶξαι, hæc studia honestate vitæ & mo-  
rum elegantia sic adtemperavit & quasi condidit, ut pie-  
tatem, quod nos quidem scimus, in nullo læserit, magi-  
stratui nihil negotij creaverit, professoribus debitum  
honorem præstiterit, commilitonibus humanitatem ex-  
hibuerit, discipulis & auditoribus suis fidelitatem ap-  
probaverit, & omnium bonorum benevolentiam sibi  
conci-

conciliaverit. Quæ morum integritas, nec non conditionis præstantia in causa fuere, ut à nobis consentientibus suffragiis, in Collegium Philosophicum cooptaretur, & ad honores adq; labores publicos aditus ipsi patefieret. *Hæc illi. Calculum hisce suum nostra addit Academia, quæ per me hoc quidem tempore interpretem suum, id de vero testatur. Magistrum E L E R U M* triennio illo quo apud nos vixit, collegia aliquot privata, Pneumaticum, Logica, Physica, Ethica, Metaphysica, in quibus studiosam pubem legendò & disputando fideliter & diligenter erudiuit, aperuisse: in disputationibus de variis materiis Philosophicis publicè habitis, Præsidis personam cum laude sustinuisse, & opponentium nodos argute doctèq; dissoluisse. Quibus eam sibi fama celebritatem peperit, ut non nemo ex Academia Julia, ejus tentari animum curavit, vellet ne docendi spartam in schola illa regia suscipere. Meditatus est præterea alia quæ partim lucem vident publicam, partim brevi visura fuissent, nisi illa quæ intervenit mors vitæ filum incidisset, & ne illis limam ultimam adderet, prohibuisset. Evenit huic nostro quod in lychno cernimus, qui dum aliis lucet, se ipsum conficit: Ita & ille aliis inserviendo vires exhauisit, & omne corporis robur attrivit. Factum hinc, ut morbis variis jam ante prostratum corpus invadentibus, victas tandem illis manus dederit,

Et vitā exutus inanime cada ver factus sit. Febris  
illam quartana, solertissimorum medicorum perti-  
nacia sua eludens operam, primo diutule exercue-  
rat, qua remittente, dyscrasia in nutritoriis visce-  
ribus relicta, lucubrationibus fota, consq; in valuit,  
ut non solum hypochondriaca, quae dicuntur, varia  
accerseret symptomata, sed omnem penitus appeti-  
tum, alimentorum retentionem & concoctionem  
impediret, unde viribus paulatim collapsis, & ex-  
hausto naturali calore, sine ulla morbi violentia,  
placide die Februarii 14. inter quintam & sextam  
vesperinam exspiravit. Quantisper morbi hi le-  
cto eum affixerunt, ad felicem emigrationem piis  
meditationibus se composuit, corporis & sanguinis  
Dominica porrectione pasci, & ex divinarum lite-  
rarum promptuario desumptis consolationibus erigi  
passus est, & erexit ipse, totum se voluntati ejus, pe-  
nes quem vita & necis potestas est, submitit, ani-  
mamq; suam Salvatori nostro Jesu Christo qui eam  
sanguine suo precioso redemerat commisit. Haec  
apud nos, ut diximus, piè defuncti Nostri vita fuit,  
hic ejus ex hac mortali in caelestem transitus. Lu-  
get Patria immaturum ejus discessum, quem in scho-  
larum & templorum suorum commodum speratum  
educaverat, à quo nominis celebritatem rehabiti-  
mentum beneficiorum exspectaverat. Lugent so-  
rores

vires generis sui sublaturum ornamentum. Luges  
studiosa apud nos inventus amissum ductorem do-  
ctoremq; suum fidum. Frustra singuli. Non ille  
luctu, votis, lacrymis, ad hanc reduci vitam potest,  
neq; si posset, vellet. Mistus beatorum choro, suis  
ex quibus ante annos XXXI. post Deum vitam  
habuit, quosq; prae misit parentibus, **JACOBO**  
**ELER** S institutori & mercatori olim apud Rigen-  
ses praecipuo, & **APOLLONIAE** Meyers  
dum vixit Matronae pie, redditus est, & juxta  
cum illis aeterna carpit gaudia. Tu studiosa ju-  
ventus, si emortui tibi tumba liceret audire voces,  
his vel consimilibus illum te compellantem audires.  
Considera iugiter, quid parentes, quid agnati, quid  
amici tui spectarint, quam de te spem conceperint,  
quando Te ad scholam hanc regiam ablegarunt;  
non ut ignavo te traderes otio, non ut vino cere vi-  
siq; te ingurgitares, non ut scurrilitati studeres;  
sed ut, quod me fecisse nosti, a praceptorum tuorum  
ore penderes, bonis literis noctes diesq; vacares,  
mentem linguarum scientiarumq; cognitione im-  
bueres, & pietate, modestia, morum concinnitate  
vitam ornares. Bene vobiscum Studiosi juvenes age-  
retur, si hoc emortui monitum observaretis, lice-  
ret vobis hoc pacto superstitibus, ad eruditionis glo-  
riaq; culmen pertingere: vel discedentibus terrena

ater-

æternis permutare. Quia etiam pius & æquus  
est, ut benevolentiam nostram illi, qui de nostra  
Academia bene meritus est, eamq; studiis & offi-  
ciis suis ornavit, exhibeamus, Dominos Professo-  
res, Doctores, verbi Ministros & Studiosos sin-  
gulos rogamus & hortamur, ut ad funeris exe-  
quias cohonestandas, in templo Jacobæo ad horam  
mediam primam hodiernam frequentes conve-  
niant, ultimans hoc officium piè defuncto exhi-  
beant, & calamitosissimum communis nostræ pa-  
triæ Germania statum, precibus suis Deo commen-  
dent. P. P. Rostochij 18. Februarij Anno 1628.













rores generis sui sublatur ornamentum  
studiose apud nos inuentus amissum du-  
ctoremq; suum fidum: Frustra singuli  
luctu, votis, lacrymis, ad hanc reduci vo-  
ne si posset, vellet. Mistus beatorum  
ex quibus ante annos XXXI. post Deu-  
habuit, quosq; pramisit parentibus, f-  
ELERS institutori & mercatori olim a-  
ses praeipuo, & APOLLONI A-  
dum vixit Matronae pie, redditus est,  
cum illis aeterna carpit gaudia. Tu  
uentus, si emortui tibi è tumba liceret au-  
his vel consimilibus illum te compellant.  
Considera iugiter, quid parentes, quid  
amici tui spectarint, quam de te spem  
quando Te ad scholam hanc regiam  
non ut ignavo te traderes otio, non ut  
suaq; te ingurgitares, non ut scurrilitate  
sed ut, quod me fecisse nosti, à praeceptorum  
ore penderes, bonis literis noctes dies  
mentem linguarum scientiarumq; cog-  
bueres, & pietate, modestia, morum  
vitā ornares. Bene vobiscum Studiose j-  
retur, si hoc emortui monitum obser-  
ret vobis hoc pacto superstitionibus, ad eru-  
riaq; culmen pertingere: vel discedent

